



## **Processus iudiciarius panormitani**

**Johannes <Urbach>**

**Parisius, Millesimo quinge[n]tesimo octauo**

Ad matrimonium dirimendum p[ro]pter legitimu[m] impedimentum sic  
excipitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70756)

inter eos matrimonium esse non potest. quare petit procurator predictus nomine quo supra per vos denunciari matrimonium inter ipsas partes legitime contractum non posse. dicamus ream ab actoris impetitione absolvendam fore et eidem actori silentium esse imponendum ac absoluatis et imponatis diffinitive etc.

**A**d matrimonium dirimendum propter legitimum impedimentum sic excipitur

**P**rocurator procuratorio nomine talis rei ponit in modum exceptionis ad perimendum intentionem talis mulieris siue uxoris matrimonium minus iuste accusantis et dicit quod dato quod consanguinitatis et affinitatis vel spiritualis cognationis impedimentum pro parte uxoris allegatum sufficienter et legitime sit probatum matrimonium tamen inter eos contractum huiusmodi preassignati impedimenti occasione non est dirimendum cum super tali impedimento pretenso per sedem apostolicam dudum sit dispensatum et ipsius impedimentum sublatum. nec valet etiam eo obstante matrimonium inter partes legitime contractum dirimi. Quare agit et petit procurator predictus prefato nomine quod denuncietis / decernatis et declaretis prefate mulieri super actione seu denunciatione matrimonii occasione preassignati impedimenti silentium imponendum fore et imponatis diffinitive. etc. Quod si agitur ad separationem thori propter adulteriam excipi potest illo modo in vim peremptorie.

**A**d separationem thori propter adulterium in vim peremptorie sic excipitur.

**P**roponit procurator nomine procuratorio talis mulieris per tale maritum suum de pretenso adulterio accusatam ad separationem thori. Et dicit quod si adulterium pretensum ipsius mulieris esset sufficienter probatum